

& non phantasticam fuisse Lazari suscitationem, nostræ resurrectionis typum gerentem. In eo conuiuio Lazarus aderat vnus è numero accumbentium: non enim vt re-
 iuiuus apparuit, statim mortuus est, sed māsit, vixitque multo tempore, quæ assueuerat agens, comedens, bibens, & alia Christiano discipulo non indigna faciens.

[M A R I A ergo accepit libram vnguenti.] Particu-
 la illationis cum officio Mariæ, insinuat occasionē modi, quo traditus est Dominus, hinc pendere. Et quod cœ-
 pit Euangelista narrare, pergit sensim accedere ad descri-
 bendam passionem Iesu Christi: vnde factum hoc Ma-
 riæ, veluti typum passionis Christi, præmittit: nam post-
 eā dicturus est Christus, Sine illam, in diem sepulturæ
 mex seruauit illud. Maria itaque singulari quodam amo-
 re flagrans in Dominum Iesum, cum ob alia multa, tum
 ob recens in fratrem beneficium, A C C E P I T, in domo
 propria LIBRAM VNGVENTI, id est, vnguentum ad
 libræ mensuram. Magnitudo pretiosæ materiæ, exagge-
 ratio est operis in Maria.

[N A R D I.] Nardus, frutex est, graui, & crassa radice,
 sed breui, ac nigra, aspero sapore, folio paruo, densoque,
 cacumina in aristas se spargunt: idè gemina dote nardi
 spicas, ac folia celebrant. Legito Plinium libro 12. cap. 12.
 Nardinum vnguentum quomodo conficiatur, Dioscori-
 des libro 1. cap. 17. docet.

Nardus.

[P I S T I C I.] Pisticæ legendū est, quòd Nardus sit fœ-
 minini generis. Nardinum vnguentum erat pisticum,
 id est, syncerum, fidele, & nulla re extranea commistum, à
 w i s i s, quod est fides.

Vnguentum
Nardinum.

[P R E T I O S I.] Cum primis pretiosum erat hoc vn-
 guentum Nardinum pisticum, quod ex uardo generoso
 re confectum esset ad libræ mensuram. Huius pretium
 Iudas expressit, dicens, Potuisset vendi trecentis denarijs.
 Trecenti autem denarij, supputatore magno illo Budæo,
 faciunt solatos Francos triginta, solato valente triginta
 quinque solidos, siue duodenarios.

Pretium vnguenti
Magdalene.
Denarij trecenti
valent triginta
solatos.

[E T vnxit pedes Iesu.] Ioannes omissam ab alijs Euan-
 gelistis pedum vnctionem narrat. In primis Maria odo-
 rifero illo vnguento vnxit pedes, sed postea fracto alaba-
 stro fudit quicquid reliquum erat vnguenti, Domino su-

Y per